

DISSERTATIO ACADEMICA
THRENOS JEREMIÆ LATINE VERSOS
NOTISQUE EXPLICATOS

SISTENS,

CUJUS PARTEM PRIMAM;

SENSU AMPLISS. FAC. PHILOS. IN ACAD. AB.

PRÆSIDE

JOH. HENRICO FATTENBORG,

Litter. Orient. Prof. Ord.

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICÈ VENTILANDAM PROPONIT

ERICUS JOHANNES CUMENIUS,

Ad primam cohort. I.æ Legionis Fennicæ Concionator Ord.

In Auditorio Philof. die III Maji MDCCCXV.

horis a. m. confvetis.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

DISSERTATIO ACADEMICA

THEORIAM QUAEVAM IN THEORIA

NOTIONUM EXPONIT

SAEPIUS

EXPOSITA

CONSTITUENS AUCTORIS ERICUS JOHANNES

RESIDENS

JOH. HENRICO PATTENBORG

IN

PRO GRADU PH.D. IN

PHILOSOPHIA

ERICUS JOHANNES

ALUMNUS ACADEMIAE REGIAE

IN ACADEMIA REGIA

HAERLEMI

MDCCCXXXIII

À
SON EXCELLENCE

M:R LE COMTE

FRABTEN DE STEINHEEL,

GOUVERNEUR GÉNÉRAL DE FINLANDE, GÉNÉRAL
EN CHEF DE L'ARMÉE FINNOISE, LEIUTENANT GÉ-
NÉRAL, CHEVALIER DES ORDRES IMPÉRIAUX DE
ST. ALEXANDRE-NEWSKY, DE ST. ANNE PREMIÈ-
RE CLASSE, DE ST. WLADIMIR SECONDE CLASSE
GRAND' CROIX, DE ST. GEORGE TROISIÈME
CLASSE, ET DE L'ORDRE ROYAL DE
L'AIGLE ROUGE DE PRUSSE.

*En osant, MONSEIGNEUR, Vous consacrer ces feuilles, je
Vous prie de les recevoir comme un gage de ma plus profonde
vénération. J'ai l'honneur d'être,*

MONSEIGNEUR,

Votre très humble & très-obeissant
serviteur

ERIC JEAN CUMENIUS.



Proæmium.

Imperterrito animo & canora voce longe antequam funditus a Babyloniiis everteretur regnum Judæ fatale illius excidium præcinuisse prophetas, pleraque illorum, quæ hodie exstant, vaticinia abunde testantur. Multa igitur eaque magna prævidebant; at id haud ita mirum. Fortissimi etenim cum essent omnes Mosaicæ constitutionis propugnatores & haud pauci illorum reipublicæ gubernandæ, pro sui temporis ratione, peritissimi, illorum sagacitatem fugere non potuit, civitatem, qualis post divisionem imperii Israëlitiæ ac potissimum post everisionem reipublicæ Eþbraimiticæ fuit Juda, ubi non solum rudior de plebe multitudo, verum etiam regum plerique & optimatum sacerdotumque maxima pars ita obedientiæ legum desveverant, ut primum idque præcipuum illarum de Jehova unice colendo præceptum prorsus neglexissent, ubi avaritia, luxuria aliique mollissimi ac perditissimi mores jam diu regnaverant, civitatem inquam, quæ

medias inter *Aegyptios*, *Asyrios* & *Babylonios*, de
 summa imperii inter se tunc temporis contendentes,
 tenuit terras, diu stare vix ac ne vix quidem fore
 valituram. Quoniam autem probum civem, ne tum
 quidem, cum omnia, quibus publica nititur salus, per-
 dita & in exitium versa esse videantur, animum de-
 spondere decet, popularesque suos terrore formidi-
 num ignavos torpidosque reddere, *Judæorum* quoque
 prophetas, studio patriam servandi flagrantes, ita va-
 ticiniorum excidium illius annunciantium terriculis
 usos fuisse videmus, ut illorum ope civium animos
 potius confirmasse & ad fortia quævis ausa excitasse,
 quam debilitasse aut omnino metu fractos salutique rei-
 publicæ desperantes reddidisse existimentur. Cuique
 enim oracula illorum diligentius perlegenti manifestum
 fit, illos excidium civitatis & alia gravissima cum il-
 lo conjuncta mala sub illa tantum conditione fore
 eventura prædixisse, si *Jehovæ* cultum, si leges obli-
 vioni traderent cives & justitiam, fidem vitæque san-
 ctimoniam relinquerent, insimul autem eosdem his mi-
 nis maximas verissimasque ab hostibus liberationis
 ac omnigenæ felicitatis subjunxisse spes, si obedientia
 eidem *Jehovæ* præstita legum sanctitatem servarent,
 morumque pravitate deposita virtuti diligenter ac sin-
 cere studerent. Ferrum igitur flammamque civibus
 minitabantur, quamdiu illos servandi aliqua remansit
 spes, quamdiu licet in ruinam prona stetit respublica,
 usque ipsis minis studium virtutis excitare gladiosque

popularium in hostes acuere adnitebantur. Hierosolymorum autem urbe, totius imperii sacrorumque publicorum sede, omnibus Judæis sancta tantique æstimata, ut quicquid omnium rerum præstantissimum reputaretur, cum illa tamen vix esset comparandum, in fumum cineremque versa, & ipso nomine civitatis Judaicæ una cum illius everfione extincto, qui hæc pessima mala pro virili parte avertere studuerant, quidnam iidem aliud cogitarent agerentque, quam calamitatibus publicis ingemescens ægrum planctibus verberarent pectus citharamque canentes ita tenderent, ut nullos nisi molli dolore sonantes redderet voces. A natura etenim ita ficti fumus mortales, ut malis, quorum vim repellere datum nobis non sit, obruti, mox ipso doloris sensu animos pascamus ægros atque levamenta miseriarum in illo quæramus, donec lætioris fortunæ spes sensim emicans atros, quibus circumfundimur, infortuniorum nimbos diducere tenuioresque reddere tandemque, splendidius fulgens, omnino dispellere valeat.

Cum autem haud pauca in Hebræo Codice occurrant carmina, lamentabili voce tristitia populi Israëlitici fata deplorantia, præcipuum tamen fere inter illa locum occupant Jeremiæ Threni, hebraice קִינּוֹת דִּיכִי *). Ad Jeremiam auctorem illos retulit

A 2

an-

*) Nomen קִינּוֹת, quod Threnorum libro quidem imponere

antiquitas, ac cum de illius testimonio dubitandi ansa relicta non esset, fidem ei habuit posterior ætas. De ipsa autem re, cui destinatae fuerunt hæ elegiæ, inter viros doctos multis disputatum est verbis, & adhuc sub iudice lis est, semperque erit, si testimonia requirantur historica. Quod si autem interna, ex ipsarum querimoniarum contextu deprompta, sufficiant argumenta, rejecta in obitum regis Josiæ illas compositas esse opinione, ad illorum accedere sententiam non dubitamus, qui calamitates populo Judaico a Babyloniis, Hierosolymorum urbis ac totius civitatis Judaicæ everfione, illatas Jeremiam threnis suis planxisse statuunt *). Neque ex ipsa harum structura lamentationum conjectura satis probabili judicare non licet, illas minime continua serie ab initio usque ad finem inter se ita esse connexas, ut unicum tantummodo constituent lessum, sed in eodem argumento quin-

solent Judæorum Magistri, a prima illius voce deduxerunt; insullius id sane, ut in sacro suo codice interpretando sæpius esse solent insullisfoni.

*) Cfr. de hac re Ill. MICHAËLIS in vers. threnorum german. ROB. LOWTH de sacra Poëti Hebr. P. post. p. 457 sqq. Edit. Michaëlis II. J. G. EICHORN Einleitung ins Alte Test. III Th. p. 546 sqq. Edit. II. J. A. DATHI Threni Jeremiæ. Edit. II. J. G. HERDERI præfat. in Libellum J. G. BÖRMELII Jeremias Klagefänge übersetz mit Anmerk. Weim, 1781.

quinque diversa continere carmina. Probat hoc partim ratio versiculorum alphabetica, in quatuor prioribus lamentis obvia, atque hujus rationis in Illitio diversitas & in V:to tandem neglectus, partim totius argumenti dispositio ac diversarum ejus partium tractatio ita conformata, ut sine ulla rerum materię tractandę nexui interservientium jactura facile hæc carmina a se invicem disjungi queant²⁾).

Threnorum Jeremię Cap. I: mum.

V. I. Siccine sola fedet urbs populosa quondam illa! 1) Vi-

²⁾ De metrica threnorum ratione cfr. ROB. LOWTH l. c. p. 449 seqq. ubi etiam de carmine alphabetico, pro more suo, doctè discribit MICHAËLIS.

1) Solenne Hebræorum est poëtis urbes regionesque ad similitudinem referre virginum illasque puellarum insignire nomine; qua figura cum hoc quoque loco utatur Jeremias noster, verbum שׁכָּבָה vulgarem suam significationem, quę in *sedendo* inest, aptissime heic servare videtur. Licet enim haud absolum foret, vocem לַאֲרָץ subjungere, atque phrasin illam *solo æquare, funditus evertere*, quo sensu *Jes. III. 26* occurrit, explicare; Attamen, cum in subsequenti mox membro vidua, obitum dulcissimi conjugis lugens, dicitur Hierosolymorum urbs, totius certe orationis nexus requirit, ut vocabula וְשׁכָּבָה בְּרָד conjungantur, atque *de femina, miseram dum suam plan-*

Vidua est gentium potentissima. 2)
 Regionum olim princeps servam præstat operam. 3)

V. 2.

git fortem, seorsum sedenti, intelligantur, Cfr. *Thren.* III. 28.
Jer. XV. 17.

2) Quoniam *multitudinis* ac *roboris* notiones affinitate junctæ sunt, illas etiam iisdem vocabulis sæpius comprehendit lingua Hebræa. Hinc autem hoc in versiculo pulchra oritur vocis רב רב dilogia, priori loco *numerositatem*, posteriori autem *potentiam* significantis. Quod enim ad distinctionem עם רבתי attinet, illa certe multitudinem hominum, florenti reipublicæ statu Hierosolyma incolentium, inquit, atque sic רב ברך haud invenuste respondet; רבתי כגוים autem vix eandem admittit explicationem; quia ut Latini, cum de numero incolarum urbis cujusdam fermo sit, inter *populum* & *gentem*, ita quoque Hebræi inter עם & גוי distinguere solent; quare etiam, quo insimul insulsa evitetur tautologia, *potentia* vim posteriori רבתי adjudicavimus, æque ac *Jes.* LXIII. 1 רב להושיע i *auxilii potentem* significat.

3) סס *tributum* ac potissimum quod operarum præstatione exsolvitur significare, omnes concedunt Lexicographi, quamquam de originaria ejus vi inter se ita discrepant, ut alii illam ex Hebr. מסה, aut ססה *liquefactus, dissolutus fuit liquefactione*, alii ab Arab. مشتق *multis parte lactis in ubere relicta, cepit rem paulatim, partem post partem, derivandam esse statuunt. Sed tantum lucis, uti nobis quidem videtur, vix e radice Arabica accipit primigenia hu-*

jus vocis notio, ut Hebraicam omnino negligamus. Ut enim, quod omnes dabunt, taceam, nomen leil. מם secundum leges grammaticas ad מסה, aut מסס referri posse, non omnia defunt omnino argumenta, unde probabili conjectura augurari liceat, תו מס, quamvis in verbis sæpius allatis *tributum pendendi* vis frustra quaeratur, *liquefactæ rei statum*, atque hinc *trepidæ animi dissolutionem* significare. Confirmatur hæc conjectura verbis *Jesaja, C. XXXI, v. 8: נפל אשור - וכחוריו למס* ירוי i. e. *cadit Asfur - - - & lecti ejus juvenes in liquefactæ rei similitudinem abeunt* h. e. *animum despondent*, qua in acceptione centies occurrit potissimum מסס, nunc cum nomine לכ, nunc sine illius adjunctione absolute constructum. (Cfr. *Jes. XIII. 7. Pf. XXII. 5. II Sam. XVII. 10*). Nomini autem מס, in allato Jesaja loco, *animi remisssi*, aut *metu fracti* significatum esse adjudicandum, vix dubitari potest, cum in priori mox subsequenti versiculi וי hemistichio hæc legimus dicta: וסלעו ממגורי יעבור והתו מנס שיר i. e. *& munimentum ejus (Asyrii) præ metu transit, & consternati vexilla relinquunt principes ejus*; Atque hoc modo communione significationi vocabulorum מס & מסס probata, etymologiæ studiosis, ad *tributi* & ei subjæctæ *operæ* notionem eliciendam, æque sufficientem esse putamus in Hebraica dialectu frequentem מסס dissolvendi, infirmandi significatum, ac *mulgendi, partem post partem capiendi* vim verbi מש in Arabismo sæpius obviam. Neque doctissimo GESENIO, (in *Lexico Hebraico-Germanico* nuper edito) antea allati *remissionis animi* significationem prorsus prætereunti, ac *servitii* tantummodo, aut *angariæ* notionem voculæ מס adjicienti adsentiri possumus, quam-

v. 2. Tota ejulat nocte madentque lacrimis genæ. 4)
Ama-

quam ad *tributi* vim confirmandam Chaldaici vocabuli מרה collationem, a laudato viro dubitanter p. opositam, rejicere non audemus. Quod enim ad *trepida mentis* vim טרף אד a nobis adscriptam attinet, illa haudquaquam, ut e supra dictis videre est, tam lubrico nititur fundamento, ut a Lexicographo omnino negligenda sit; nec nos permittunt quædam veteris Test. Codicis loca, ut intra artus *angariarum* aut *servilium operum* limites significationem vocis nostræ concludamus; Ne autem longiores, quam instituti nostri fert ratio, simus, nonnulla illorum, qualia sunt *Jos. XVII. 13. Jud. I. 30, 33, 35. II Sam. XX. 24. Esth. X. 1.* heic adscribamus, judicium relinquentes lectoribus, annon illa tanti sint momenti, ut sine errandi periculo, cujusunque fere notionem tributi, sive pecore & frumento, sive servilium operarum præstatione solvendi, vocabulo אד tribuere possimus. *Opera* autem significatum in versione adhibuimus, quoniam ille omnium certe est scriptoribus Hebræis maxime frequentatus & orationis vi hoc loco convenientissimus. Fortius etenim angarias præstandi necessitate, quam tributa pendendi obligatione calamitatis maxime ignominiosæ exprimitur magnitudo, atque hac ratione vehementius animum feriunt sibi invicem oppositæ dictiones שרתי במריבות & חיה למט.

- 4) כלילה! Lamentantium enim tempus noctis est obscuræ silentium, mœrorque ejus gravissimus, qui (בכו בכח) fletu suo integras illius conficit tenebras.

Amatorum nemo miseretur ejus, 5)

Hostili animo fregere omnes fidem amici. 6)

v. 3. Afflicta, dura servitute pressa excessit patria
Juda, 7)

B

Re-

5) Illustrem quondam Judææ metropolim sub imagine ejulantis adumbraverat propheta femine; cujus gemitus, ut eo flebiliores faciat, illam nunc ab amatoribus esse desertam dicit. Durum est ab amantibus & scortatoribus relinqui, sed multo etiam durius ab adamato repudiari conjuge; quare voce אהב, non autem מאהב scite utitur auctor carminis; quarum formarum usus ita differre videtur, ut cum hæc de *fornicatore*, aut petulanti amasio semper dicatur, illa verum ac sincerum amatorem sæpius significet. Cfr. *1 Sam. XVIII. 16. Jes. XLI. 8. Deuter. XXIII. 15. 16. Ezech. XXIII. 5. 9. Hof. II. 7. 9. 12. 14.*

6) כנר, de cujus primigenia vi nihil certi definire licet, *fidei*, atque *amoris conjugalis violationem* quoque indicare testantur *Jerem. III. 7. 8. 20.*

7) Per magna est in omnibus fere linguis vocabulorum multitudo, quorum ratio ita comparata reperitur, ut diversi illorum significatus, licet notissimi sint & frequentiori usu fatis bene probati, ipsa tamen harum significationum concatenatio atque causa ab una ad alteram transitus, aut plane desideretur, aut ad partem tantum erui possit. Ad illorum autem numerum jure refertur Hebræorum גלה, quod apud Syros quoque, Arabes & Chaldæos tum *revelandi*, tum *migrandi* vim obtinet. Jubent quidem artis etymologicæ magistri hæc ita conjungere significationes, ut *nudum relinquendi* notio vinculi instar interse-

Requie privata commoratur inter gentes, 8)
 Persecutores ejus attingunt illam angustis in locis.

v. 4. Lugent viæ Zionis, nam festa celebrat nemo, 9)
 Obstu-

ratur; quia migrantes locum, ubi antea habitarunt, *nudum* faciunt. Sed tales conjecturas etymologiarum relinquimus captatoribus; & quamquam *nudandi* vim sæpius sibi vindicet צלה, illam tamen hoc loco aptam esse negamus, haudquaquam dubitantes, quin *migrandi* significatio omnium ad sensu heic adprobetur.

8) Verba היא יושבה כנויים reddit BÖRMEL. l. c. *Sie wandelt hin zu fremden Völkern*, illa inductus ratione, quod, cum filia Juda in toto carmine migrans lugiensque sistatur, sibi met ipse contradiceret poëta, si certum fixumque inter gentes domicilium vaganti feminae attribueret; cui addit Syrorum יתב, respondens Hebræorum ישב, imprimis in Conjug. Ettaphal, quemadmodum גגר apud Hebræos, *peregrinandi* vim habere. Sed hæc omnia tantum tamen vix valent, ut verbo ישב significationem usus lingvæ repugnantem obrudamus. Numquam enim de motu in locum, sed semper, e prima *sedendi* significatione, de mansione in loco adhibetur ישב, diuturniori illa interdum, subinde autem breviori. Quare, si *peregrinandi* notio huic verbo tribuatur, haud multum refragabimur, modo *commorandi*, seu *habitandi*, minime autem *migrandi*, sublit significatio.

9) דרכו ציון viæ, quæ in Zionem, cultus divini sedem, ducunt, ob incolarum infrequentiam, choris in templum euntium non amplius trita, quemadmodum mox ipsæ portæ templi, per prosopopœiam lugere dicantur. Eadem

Obstupuerunt portæ, sacerdotes suspiria tollunt, 10)
Puellæ ejus dolent, amara sunt omnia ipsi. 11)

V. 5.

imagine utitur *Jesaias C. III. v. 26.* וְאִנּוּ וְאִכְלוּ פַחְחִיהָ, eandemque dicendi rationem sæpius adhibere solent non solum Judæorum prophetæ, verum etiam omnes fere aliarum gentium scriptores, qui aliquid in poësi excolenda profecerint. Cfr. notissimum VIRGILII versum, Georg. L. IV. 481: *Quin ipsæ stupere domus atque intima Leti Tartara.*

מִוֶּעַר vertimus *festa*, quia satis confirmatus est hic vocis usus, & ad sensum orationis exprimendum aptissimus. ABEN-ESRA reddit מִקֶּדֶשׁ h. e. *templum*, quod haud incommodum quidem fundit sensum; an autem unquam nomine מִוֶּעַר templum suum insigniverint Judæi, dubium videtur.

10) שָׁמַם proprie *vastatum, desolatum esse* significare omnes norunt, unde etiam verba שְׁעָרֵיהָ שָׁמָיוּ, seorsum ab orationis contextu sumta, *portæ ejus vastatæ sunt*, commode verti possunt. Cum autem צִוּן אִכְלוּת in priori versus hemistichio dictioni שְׁעָרֵיהָ שָׁמָיוּ respondeant, parallelismus & poëticæ venustatis sensus jubere videntur, ut verbo שָׁמַם *obstupefaciendi* heic adjiciamus notionem, translata quidem illam, at valde tamen usitatam. Cfr. *Jerem. IV. 9. XIIX. 16. Ezech. XXVI. 16.*

11) Quamquam radicis Hebrææ וָגָה significationes, aut nihil, aut certe paululum roboris e sororii: accipiant dialectis, orationis tamen, ubi occurrat series, derivatorum ab illa nominum usus, vocum cum illa junctarum, aut ei oppositarum vis constansque veterum Intt. consensus, satis superque probant, illam, quæ in *dolendo* inest,

v. 5. Hostes ejus superiores facti sunt, tranquillitate fruuntur inimici;

Nam illam Jehova ob multa affligit peccata mœrore,
Parvuli ejus coram hoste prodeunt captivi. 12)

v. 6.

ceptionem, si vel alia in perpauca quibusdam Hebræi codicis versiculis admittenda esset vis, heic ut in plerisque, ubi verbum hocce legimus, locis sine omni a vero aberrandi periculo ei esse tribuendam. Cujus rei cum multa argumenta afferri possint, unum eorum illudque haud spernendum e sequenti versu depromere licet, ubi יגה & שלה ita sibi in vicem opponuntur, ut hujus significatione confirmata, illius incerta manere haudquaquam possit. שלה autem tranquillitate fruendi notionem tenere vix in dubium vocari potest, cum Arab. سلا, Syr. של, Samarit. של, ac Chald. שלה, nunc in verbis ipsiis, nunc in eorum derivatis eundem servarunt significatum. Cfr. *Castell. Lex. heptagl. in voce שלה, & Job. XIX. 2.*

12) Quoniam formula הלך לפני פלני i. e. *Ambulare in conspectum alicujus*, interdum ita adhibetur, ut ministrare, operam alicui prestare significet, (cfr. *I Sam. II. 35. XII. 2.*) quo sensu suo עמר vulgo utuntur Hebræi, vocabula צר — — — עוללים explicari quoque possunt: *Parvuli ejus captivi serviunt hosti.* Cum autem parvuli illi vocantur עוללים, *puelli a lacte matris nuper depulsi*, lat. *infantes*, qui nullam nondum servilem prestare valent operam, in hac explicatione tanto minus inhærescere voluimus, quanto certius constat, rariorem esse hujus formulæ hac in significatione usum, nostramque interpretationem verborum vi esse convenientissimam & ad totius dictionis sensum exprimendum aptissimam.